



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.7. In hac quoque vitâ punitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

fit hæc pati Deum. Expende, qui valor sit sanguinis tanti. Expende, inquam. Pervenisti ad summam. Hoc, hoc pretium peccati fuit; sanguis Dei, vita Dei, mors, crux, anima Dei. O rem inexcogitabilem! & miramur Anselmum, (*De similitud. cap. 190.*) cum dicit? *Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus calorum regna tenere.* Non miror, non miror, si parricidam Christi non amat etiam in cælo; si flammam non timet etiam in inferno. Mutatur scena, & cælum fit infernus cum hac furiâ furiarum, quæ dæmoni quoque dæmon est, & flammis oleum ac bitumen. Adest? ardent omnia, etiam *asbestina*, Angeli & Animæ. Abest? ros ubique, etiam in fornace.

§. 7. *In hac quoque vitâ punitur,*

Et quidem ardentem in cælo, in paradiso, in inferis, in ipso Deo vidisti; ecce do conflagrantem in terris. Recordare adulterium Davidis, furtum Achani, blasphemum Rab facem. Revolve annales, quoties unius ob culpam & furias regna in exitium data; hîc mil-

millia peste consumpta, hinc diluvio populos, hinc incendio urbes. Videbis etiam pignora in scelere parentum intercepta, & vicissim parentes in puerorum. Videbistotam ab uno familiam damnatam, filios, nepotes, pronepotes, hereditariam luem, & nullius in morte morientem. Quod si in hac vitâ, quæ misericordiæ stadium est, tantâ atrocitate sævitur etiam in amicos; quid in altera putandum est, in qua puniuntur inimici? nam si *incipiat iudicium à domo Dei; quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et si iustus vix salvabitur; impius & peccator ubi parebunt?* (1. Pet. 4.)

§. 8. *Quàm odiosum sit Deo*

Postremò tela in peccatum nulla tam acuta, quàm Dei verba. *Iratuſ est furore Dominuſ. Exacerbavit Dominum peccator. Tatuſ dolore cordis intrinſecùſ. Pœnituit eum. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Furor in Deo, exacerbatio, ira, dolor, pœnitentia, odium denique: quid terribilius? Gravis ira Regum ſemper: Dei qualis & quanta? mirum. Nihil odit eorum Deus quæ fecit, *Tolle peccatum, viditque cunãta qua fecerat, & erant valdè bona.* (Gen. 1.) Pone peccatum. Non Angeluſ, non Homo, non